FELICISSIMO VIRO

JOSEPHO

INQUAM PATRIARCHÆ

HAS PHILOSOPHICAS PROPOSITIONES


IN GRATITUDINIS, ET AMORIS MONUMENTUM

DD. OO. SS.

P. Fr. ANGELUS MARTINEZ,
Fr. JOSEPHUS FERNANDEZ DE MORA,
Fr. EMMANUEL RUIZ,
Fr. JOSEPHUS SANCHEZ,
Fr. LAURENTIUS GONZALEZ,
Fr. JOANNES LOPEZ.

HISPALI:

APUD VIDUAM DE HIDALGO
ET HUJUS NEPOTEM.
ANNO 1807.



PRIMA DIE MANE.

1. Philosophia, ut ab ejus definitione, quemadmodum par est, exordiamur, recte dicitur, *series cognitionum evidentium, quæ ex evidentibus principiis deducuntur, aut lumine tantum naturali habentur.*
2. Hujus materiale objectum res sunt naturales, formale verò earumdem cognoscibilitas.
3. Ipsam existere, nemo nisi hebes negare audebit.
4. Quare persuasum habemus homines nusquam usquè adèo insanivisse, ut serio et absolutè de omnibus dubitaverint.
5. Omnia in dubium vertere, ludibrium merito dici debet.
6. ¿Erunt igitur nobis omnia certa et explorata? Minime.
7. Dogmaticorum opinio temeraria præsumptio est.
8. ¿Quam habemus normam, quamve regulam, ut nostras cognitiones á falso secernamus? Distinguentes cum *Cl. Hosterrieder* inter materiale veritatis criterium et formale: illud esse regulas logicales is-

tudque evidentiam, asserimus.

9. Ut candidus veritatis amator purè, sincerè, et absque passione procedat in inquisitione veritatis, prudentum Ecleticorum libertate philosophari debet.

10. Hanc amplecti sectam rationi conformius, utilius, securius, iisque, qui Theologicis disciplinis dant operam, acommodatius judicamus.

11. Duo tantum sunt loca proprie philosophica, ratio nempe naturalis, et experientia.

12. ¿ Licet ergo viris catholicis de rebus disserere naturalibus sacra posthabita auctoritate ? Absit.

13. Philosophia in quatuor dispescitur partes ratione objectorum, quæ considerat; Logicam nempé, Metaphisicam, Phisicam et Æthicam.

14. Logica per se et immediate intendit humanam mentem ad verum inveniendum idoneam reddere, mediate vero, sicut et extrinsice perfectam rerum cognitionem.

15. Falluntur igitur qui artem illam esse judicant.

16. Logica vere et propriè scientiam esse, affirmamus.

17. Adæquatum illius objectum modus sciendi est.

18. Quam non modo utilem, sed simpliciter necesariam censemus, ad alias in statu perfecto scientias comparandas.

19. Quatuor sunt mentis nostræ operationes, simplex aprehensio, judicium, discursus, ac methodus.

20. Harum prima optime definitur mera alicujus rei representatio in mente existens.

21. Mentis ideæ omnino diversæ sunt ab ideis Phantasiæ.

22. Fallitur igitur et fallit Wolfius, cum nihilum percipi non posse, sustinere conatur.

23. Haud tamen percipi potest convenientiæ relatio inter ideas sibi mutuo repugnantes.

24. Omnis mentis idea ita clara, et distincta est, ut proprie loquendo nulla sit obscura et confusa.

25. Hæc sive simplex sit, sive composita, potest esse vera, sed numquam falsa.

26. Vox, gestus, et scriptura signa sunt nostrarum idearum.

27. Voces articulatas inter signa arbitraria recensemus.

28. Hæ primo, et inmediate res significant,

ultimo vero et tanquam consequenter illarum conceptus.

29. Judicium actio mentis composita non est, sed simplex.

30. Hæc ad intellectum, potius quam ad voluntatem pertinet.

31. Longe á veritate distat Dogaumerius, omne judicium esse affirmans propugnans.

32. Propositiones affirmantes natura sua á negantibus differunt, et vicissim.

33. Nullam propositionem veram in falsam posse mutari, nec falsam in veram affirmamus.

34. Perperam asserit Wolfius quamlibet propositionem falsam in se ipsa contradictionem involvere.

35. Propositiones contradictorias simul veras et falsas esse posse negamus.

36. Hæ medium admittunt nullum.

37. Propositiones denique contrariæ simul veræ esse nequeunt, possunt tamen esse simul falsæ.

38. Syllogismus essentialiter conclusionem includit æque, ac præmissas.

39. Tanta est legitimi syllogismi vis ut datis præmissis intellectus necessario determinetur ad assentiendum conclusioni.

40. Hæc syllogismorum regula: ut una præmissarum conclusionem contineat, altera ostendat istam in illa contineri; ita secura est, ut recte ratiocinetur, qui in eam tantum respiciat.

41. Errant qui syllogismorum usum á philosophia eliminari, credunt, debere.

42. Perperam nonnulli Cartesium rigorosi scepticismi insimulant.

43. Dubium generale methodicum plurimum confert ad recte philosophandum.

44. Haud recte impugnat Cl. Almeida N. Fort Brix regulam primam de fide sensibus præstanda.

45. Sensus numquam proprie falli cum Epicuro affirmamus.

46. Immo de iis, quæ per sensus dijudicari possunt; ita idonei sunt, ut opinio illa vera sit, cui vel suffragatur, vel non refragatur sensuum evidentia.

47. Ergo minime necesè est ad revelationem cum Malebranchio confugere; ut demonstretur corpora existere.

48. Criticæ regulas omnes, quas Logicæ part. 2. sec. 7. N. Brix tradit, propugnamus.

VESPERE.

49. Quædam generalia cognitionis principia suppeditat Ontologia, certissima et evidentissima, quorum illud á Philosopho statutum *imposibile est idem simul esse et non esse*; tanquam omnium primum consideramus.

50. Ens generatim sumptum, nil aliud est, quam id, quod nullam in se ipso contradictionem involvit.

51. Plura convenire possunt in ratione entis quin nihil reale et positivum sit illis ex æquo commune.

52. Ergo recte dicitur atributum entis univocum esse Deo et Creaturis.

53. Id ipsum affirmamus de atributo substantiæ, si pro ente per se existente ipsa accipiatur.

54. Logica rerum possibilitas ipsis rebus intrinseca est.

55. Entis creati existentia non præ se fert entitatem, sive formam realem reipsa distinctam ab illius essentia, in eaque tanquam in subjecto receptam.

56. Scotistarum opinio propugnans essen-

tiam inter atque existentiam distinctionem illam dari, quam formalem vocant, nobis non placet.

57. Nulla datur relatio, quæ sit entitas sive forma distincta á ratione proxima fundandi, seu á relativa terminorum denominabilitate, ipsisque superaddita.

58. Atheos speculativos, negativosque, homines nempe, quibus persuasum sit, Deum non existere, nec fuisse, nec esse posse, credimus.

59. Ratio namque naturalis evidenter ostendit Dei existentiam.

60. Similiter esse Unum, Simplicissimum, Immutabilem, Immensum, Omnipotentem, ac Omniscium, manifestat.

61. Deum providere etiam de iis, quæ nonnullis minuta, et vilia apparent, sustinemus.

62. Qui ad omnes creaturarum actiones concurrit immediate, non modo immediatione virtutis, sed etiam suppositi.

63. Aliter de phisica præmotione sentimus: Hanc enim in causis necesariis, quam in liberis negamus.

64. Animæ rationalis spiritualitas ratione naturali demonstratur.

65. Quam nullum habitum ire finem cog-

noscimus, nedum Divina revelatione ita docente, sed ex pluribus rationibus hoc suadentibus.

66. Verumtamen ex illis nullam tam evidentem esse sustinemus; quæ nullomodo perituram esse, demonstret.

67. Fallitur Cl. P. Fortunat. Brix. dum Concilium Later. sub Julio II. et Leone X. celebratum, præcepisse affirmat omnibus Philosophiæ professoribus, ut in demonstranda humanæ mentis immortalitate, diligentius, quoad fieri posset incumberent.

68. Temeritatis nota, qua laudatam N. V. D. S. opinionem quidam non inferioris notæ Theologus inurit, injusta est, et prorsus infundata.

69. Humanæ mentis essentia sita non est in actuali cogitatione.

70. Dubium enim est, an corpori copulata semper sit actu cogitans.

71. Penitus aberrat Pythagoras docens animam particulam esse deceptam ex quadam substantia, quæ anima universi fingitur.

72. Sed multo magis blaterat Plato illam particulam Divinæ substantiæ esse, propugnans.

73. Mentepsicosim merum figmentum esse, ¿ quis non dicet?

74. Traducianorum error est á veritate procul.

75. Animam per creationem suam habere originem, nemo nisi plumbeus negabit.

76. Immerito Leibnitius, et Wolfius animas præexistere in corpusculis organicis dixerunt.

77. Animæ denique rationales creantur in dies, atque organico fœtus corpusculo infunduntur, simul ac habetur in eo partium organizatio, quæ vitæ functionibus obeundis suficiens sit.

78. Caussarum ocasionalium systhema ad explicandum mutuum, animam inter et corpus, commercium, nec Philosopho dignum est, nec Christianæ Theologiæ consentit.

79. Harmoniæ, præstabilitæ systhema penes hujusmodi commercium, latam aperit viam pluribus in Phisica, et in fide erroribus.

80. Dari inter animam et corpus phisicum influxum, et experientia constat, et certo certius intimo sensu evincitur; hujusce tamen ideam claram habemus nullam.

81. Circa idearum originem haud recte sensuit Cartesus.

82. Opinio Malebranchii propugnans nos omnia videre in Deo falsa et absurda est.

83. Nec audiendus est Epicurus circa prædictam originem.

84. Humanam mentem congenita sibi vi rerum ideas in se producere, dubitabit nemo.

85. Illa vero dum corpori est copulata á phantasmate determinatur ad rei sensibilis ideam producendam.

86. Verumtamen nulla omnino est species rei impresa distincta á phantasmate ad tales ideas producendas, ut Peripateticis placet.

87. Ergo omnis nostra cognitio ita á sensibus dependet, ut non nisi sensibilia, et prout sensibilia á nobis cognoscantur? Minime.

88. Voluntas humana libera est tam ab interna tum ab externa necesitate.

89. Nihilominus non potest amare malum ut malum, nec bonum ut tale adversari.

90. Nulla in Anima habetur volitio nolitiove sine motivo.

91. Hoc aliud non est, quam ratio boni vel mali deprehensa.

92. Humana mens unita corpori præteritæ rei notionem in se producere non potest nisi illa eadem in cerebro iterum excitetur motio quæ facta in eodem fuit cum rem ipsam mens primo novit.

93. Igitur phisica memoriæ caussa ex fibrillarum cerebri flexibilitate, quæ per exercitium adquiritur, est repetenda.

SECUNDA DIE MANE.

1. Corpus phisicum substantia dicitur natura sua impenetrabilis, extensa in longum latum et profundum , figurata, divisibilis, iners, ac mobilis.
2. Circa illius essentiam perperam censuit Cartesius.
3. Nec in divisibilitate constitui potest.
4. Actualis impetrabilitas nullum omnino corporis essentiæ caracterem habet.
5. Illius exigentia etiam caret præcipua essentiæ condictione.
6. Hanc ergo non satis exploratam esse, fateri non erubescimus.
7. Duo sunt principia essentialia ex quibus naturale quodcumque compositum coalescit.
8. Hæc si metaphisicé sumantur, non est cur systhema Arabo=Peripateticum prorsus rejiciatur.
9. Verum sic non suficiunt ut corpora phisicè constituant.
10. Etiam insuficientia judicamus prima Leibnitiana principia.

11. Nec admittenda sunt quæ ab Elementaristis asignantur.

12. Systhema Cartesianum nullo solido fundamento nititur.

13. Itidem rejicimus Anaxogoræ parspermiam.

14. Corporum itaque naturalium sensibiliumve prima materies non incongrue collocatur, in particulis extensis solidis, diversæ figuræ ac magnitudinis præditis, exilissimis, homogeneis et naturaliter insecabilibus.

15. Harum tantum combinatio, et textura sufficiunt, ad illorum specificam diversitatem.

16. Perperam nonnulli inferunt ex hoc systhemate corpusculari contradictionem sequi.

17. Nomine namque extensi, non aliud usurpamus, quam id, quod secundum trinam dimensionem est mensurabile.

18. Extensio essentialiter secatur in penetrabilem et impenetrabilem.

19. Quarè judicamus ex penetrabilibus extensis numquam consurgere extensum impenetrabile.

20. Corporis magnitudo nihil est diversum ab ejus extensione entitativa.

20. Ergo ex punctis mathematicis continuum nequit componi, ut Zenoni et Pythagoræ placuit; nec exire potest in infinitum.

22. Admitti in mundo debet extensio penetrabilis, in qua corpora recipiantur.

23. Hæc, sive spatium interminatum, indivisibile, æternum, et improductum dicitur.

24. Verum hoc est á Deo quid plane diversum.

25. Porositas est proprietas universalis corporum sensibilium.

26. Pororum quantitas absoluta non potest determinari, relativa vero satis accurate determinatur.

27. Concava superficies corporis ambientis haberi nequit pro loco corporis contenti, ut Peripatetici volunt, et placet Cartesianis.

28. Locus recte dicitur spatium occupatum á corpore.

29. In illo possunt esse supernaturaliter duo corpora quanta.

30. Eadem potentia idem numero corpus potest simul esse in duplici loco circunscriptivè.

31. Vacuum coacervatum nec est, nec dari potest viribus naturæ.

31. Tamen Divinitus esse possibile, credimus.

33. Vacuum autem disseminatum in rerum natura existit.

34. Circa motum corporis localem audiendi non sunt, qui illum in corporis ponunt, translatione ex vicinia eorum quæ tangit in aliorum vicinia.

35. Ille consistit formalitèr in serie succesiva ubicationum.

36. Ubicatio entitas non est realis positiva, distincta á corpore locato, eique superadveniens dum fit loco presens, ut aliqui affirmarunt, sed mera denominatio extrinseca.

37. Motus ideo localis nequit esse entitas realis positiva corpori quod movetur superaddita.

38. Extrinseca omnino est illius causa.

39. Corporea namque substantia, nec exigit natura sua localiter moveri, nec valet in se ipsa impetum producere, ut moveatur.

40. Hic, impetus nempe, non fit nisi á substantia spirituali.

41. Quies formalitèr consistit in motus negatione.

42. Corpus siquidem quiescit hoc ipso precise, quod nil impetus in illo habeatur.

43. Præter impetum aliam vim in corporibus cognoscimus, quæ inertia vocatur, qua corpus suum statum conservare nititur.

44. Vis quam corpus in motu positum contra obstacula exercet, est ut factum ex masa in celeritatem.

45. Causa continuati motus projectorum non est aër á tergo mobilis se dilatans, ipsumque antrorsum propellens.

46. Nec atomi per se mobiles, ut voluit Democritus.

47. Prorsus indignum philosopho est, ad Deum cum Cartesio confugere ad asignandam causam immediatam hujusmodi phænomini.

48. Imo nec lex generalis naturæ ut Leibnitio placuit.

49. Sed ab impetu corpori projecto communicato, efectus continuationis oritur.

50. Omne corpus in suo statu quescendi vel movendi in directum perseverat, nisi ab externa causa statum suum mutare cogatur.

51. Mutatio motus est vi á qua pendet, proportionalis; fitque secundum lineam rectam qua vis illa imprimitur.

52. Actioni unius corporis contraria est, et æqualis reactio alterius.

53. Nullum cognoscimus corpus, quod perfecta gaudeat elasticitate.

54. Hæc tamen vera est causa motus reflexi.

55. De phisica gravitatis causa non rite sentiunt Aristotelici.

56. Nec ab externa fluidissimæ materiæ impulsione derivari potest, ut docuit Cartesius; neque ab hamatis atomis uncinatisque, ut Gassendus voluit.

57. Imo nec ab universali atractione, ut Neuutono placuit.

58. Hanc ignotam esse censemus.

59. Gravitas ita uuiversalis in omnibus est corporibus, ut nullum reperiatur, quod sit absolute leve.

60. Etiam elementa in suis locis constituta gravitant.

61. Corpora gravia libere sibi commissa æquali descendunt velocitate in medio non resistente.

62. Tamen si inæqualia sunt per medium resistens descendencia vi gravitatis diversa velocitate feruntur.

63. Corporum gravitatem proportionalem esse quantitati materie asserere non dubitamus.

64. Neutoniana atractio admitti non debet tanquam communis naturæ proprietas.

65. Humidum perperam prorsus cum fluido, et siccum cùm solido confundi, ut ab Aristotele, atque cum illo á P. Ferr. aliisque etiam factum est, putamus.

66. Solidum namque probabiliter oritur ex eo quod particulæ ex quibus componitur sibi mutuo infixæ sint, et ab externo circumambiente fluido invicem premantur; fluiditas vero, ex eo quod particulæ ex quibus immediate consurgit dissolutæ sint á se mutuo et oblonga, levigataque figura affectæ.

67. Verum licet dissociatæ sit particulæ fluidum componentes de istius essentia non est, ut motu jugi moveantur.

68. Humiditas formaliter consistit in eo quod humor, sive humectans fluidum corporis poros ingrediatur, ejusque superficiebus adhæreat.

69. Hæc vis humectandi probabiliter oritur á magnitudine figuraque particularum.

70. Siccitas autem in sola humiditatis privatione sita est.

71. Corporum rarefactio ex eo accidit, quod illorum pori dilatentur: condensatioque ex quo constringantur aut disminuatur pororum numerus.

72. Sic etiam propugnamus, cæteras omnes corporis sensibiles qualitates, ex mechanicis affectionibus particularum materiæ, ex quibus corpus compositum est, unice provenire.

73. Atque ideo nullam omnino esse corporis qualitatem, quæ sit accidens absolutum in sensu Scolasticorum sustinemus.

74. Et denique ut Recentiorum famam, doctrinamque vindicemus disert. Phis. Theol. de qualitatibus corporum sensibilibus, quam secundis curis recognitam, tipys mandavit. Brixiæ anno MDCCXL. Cl. Fort.quoad omnes propositiones defendimus, iisdem rationum momentis quibus laudatus Auctor sustinet.

VESPERE.

75. Quamvis mundi unitatem sustineamus: plures possibiles esse inficiare non posse, dicimus.

76. Mundus non fuit ab æterno, sed in tempore creatus.

77. Istius creationis tempus certo asignari non potest, nos autem probabilius fuisse judicamus Martii mense, sive tempore,

quod nunc martius dicitur.

78. Hujus magnitudo certe deffiniri nequit.

79. Leibnitii optimismum rejicimus.

80. Sed non est cur rejiciatur prout á P. Alti. exponitur.

81. Nec cœlum planetarium, nec stelliferum solidum potest dici.

82. Circa ordinem corporum cœlestium ac dispositionem systhemata á Ptolomeo, et Thicone excogitata cum Astronomia et phisica non cohærent.

83. Copernicanum vero optime cum illis conciliatur.

84. Tanti roboris non sunt rationes, quibus phisicæ hoc systhema adversari affirmat Cl. P. Fortunatus ut cum illo sentiamus, nullomodo cum phisica componi posse.

25. Nec clare (ut ait) adversatur infallibili auctoritati.

86. Sacræ enim scripturæ testimonia de motu solis, ac terræ quiete loquentia haud perperam possunt explicari de motu et quiete apparenti.

87. Solis substantia ignea est.

88. Illius maculæ non sunt planetæ circumsolares ipsius Solis lumen intercipientes cum inter solem et terram jacent, nec

ipsius solis montes, nec corpora solida igneo fluido quandoque innactantia, quandoque decidentia.

89. Recte loquuntur, qui maculas solares á Solis exalationibus originem habere propugnant.

90. Luna est corpus opacum totum lumen suum á Sole recipiens.

91. Illa corpus est asperum pluribus nempe depressis, ac prominentibus partibus interruptum.

92. Lunæ maculas constantes esse maria, lacus, et flumina absque ratione suficienti asserit Wolfius.

93. Nec potiori jure pretendit circa Lunam éxistere sensibilem atmospheram terrestri persimilem.

94. Lunæ eclipsis oritur, cum tota vel aliqua sui parte umbræ telluris immergitur.

95. Solaris autem ab umbra lunæ in tellurem projecta.

96. Numquam contigit eclipsis solaris nisi luna in uno nodorum vel prope illum Novilunii tempore existat.

97. Ergo ea quæ accidit in morte D. N. J. C. fuit prorsus miraculosa.

98. Venus, Mercurius, Mars, Jupiter, et

Saturnus, ac Jovis Saturnique satellites corpora sunt opaca.

99. Cometæ sunt planetæ mundo congenitæ, qui certa constantique periodo in orbe revolbuntur.

100. Illorum barbæ, caudæ, et crines efformantur ex vapore quodam tenuissimo ab eorum nucleo erumpente.

TERTIA DIE MANE.

1. Ignis purus et elementaris non consistit in particulis corporis igniti celerrimo motu agitati.
2. Illum esse dicimus specialem substantiam, subtilissimam, solidissimam, elasticam, per omne spatium, et corpus diffusam.
3. Perperam illius sphæram in concavo Lunæ nonnulli collocarunt.
4. Illum esse corpus grave ¿ quis non dicet ?
5. Eadem est ignis ac lucis materia.
6. Æquabilem ignis diffusionem non admitimus.
7. Illius particulæ non sunt præditæ figura piramidali.
8. Vapor electricus diversus non videtur ab igne elementari.

9. Phisica electricorum phenomenorum causa est diversa ignis quantitas, que arte vel natura induci in corporibus potest.

10. Ex igne electro in visceribus terræ excitato montium ignivomorum eructationes et terræmotus oriuntur.

11. Aer corpus est fluidum, grave, maxima pollens elasticitate.

12. Hæc æqualis prorsus est vi comprimenti.

13. Vis aeris elastica plurimum calore augetur.

14. Nec amittitur elasticitas quantocumque tempore aer compresus fuerit.

15. Ablatum aeris æquilibrium est causa ventorum quorumcumque in atmosphæra.

16. Ascensum, suspensionemque fluidorum in torricellianis tubis á presione aeris et elasticitate oriri censemus.

16. Ascensus vero in tubis capillaribus externo prementi fluido tribui non potest.

18. Nec adhæsio fluidi in vitri lattera causa hujusmodi phænomeni dici debet.

19. Nec per vim atracticem tuborum ratio redditur hujus effectus.

20. Aquæ particulæ sunt durrissimæ, subtilissimæ atque immutabiles.

21 ¿ Ergo incompresibilis ? Licet sensibiliter compresibilis non sit vi artis, tamen aliquomodo comprimi posse, credimus.

22. Aquæ maris salcedinem á salium particulis; amarulentiamque á particulis bituminosis aquæ marinæ commixtis, esse tenemus.

23. Veram æstus maris reciproci causam adhuc sub lite esse, dicimus.

24. Fontes non trahunt suam immediatam originem á mari, sed ab aquis pluvialibus nivibusque solutis.

25. Terra corpus simplex dicitur aridum insipidum ac prorsus iners.

26. Vera atractionis magneticæ causa usquemodo ignota est.

27. Nulla planta ex putrecenti nascitur materia, sed ex proprio semine omnes oriuntur.

28. Harum nutrimentum non in sola aqua consistit, sed in solutis salinis, oleosis, vituminosis, terreis aliisque similibus particulis.

29. Succum alimentitium plantarum jugi circulatione cieri per lignum ascendendo, et regrediendo per corticem omnino falsum est.

30. Circa hoc proprie loquuntur, qui pro-

pugnant illum perfici in succo nutricio, qui motu oscilatorio sursum deorsum, et ad lattera fertur.

31. Animal nullum quantumvis vile appareat ex putri gignitur.

32. Animalia omnia etiam vivipara ex ovis nascuntur.

22. Bruta non sunt mera authomata.

VESPERE.

34. Unica in homine datur anima, rationalis nempe.

35. Quam ut vera corporis formam cognoscimus.

36. Omnes corporis partes solidæ præter excrementitias ab anima informantur, sanguisvero aliique humores sunt inanimati.

37. Animam existere totam in toto corpore, et totam in qualibet ejus parte usque adeo indemonstratum est.

38. Sensatio non perficitur in sensibus externis, sed in solo cerebro.

39. Nulla siquidem sensatio ex sensibilium appulsu in nobis excitari potest quin pasio externi sensus cerebro communicetur.

40. Quod objecti instar in sensasione nobis ocurrit non est res ipsa sensibilis á qua sensorium immutatur, sed pasio dumtaxat sive motio in ipso sensorio ab ipsa excitata.

41. Nec in humore cristalino, nec infundo choroidis præcipuum organum visus collocamus.

42. Hoc in sola retina recte constituitur.

43. De qualitatibus ad visum pertinentibus tractaturi, de luce primo loquimur, quam in particulis corporeis repetendam censemus.

44. Lux primaria consistere videtur in motu concitatissimo subtilium quorumdam partium corporis lucidi.

45. Secundaria vero seu lumen in motu celerrimo, et rectilineo subtilissimæ substantiæ quam corpus lucidum quoquoversus spargit.

46. Lux propagatur succesive.

47. Color objectivus nihil est diversum á varia figura, magnitudine, et artificiosa dispositione particularum, ex quibus ipsum corpus intrinsecus coalescit.

48. Auditus organum in expansis nervi auditori fibris constituendum est.

49. Corpus fit sonorum per motum tremulum partium minimarum ipsius corporis.

50. Sonus propagatur per motum aeris tremulum.

31. Olfatum constituunt nerveæ papillæ, quæ per membranam interiores narum amfractus investientes disseminantur.

52. Odores nihil aliud sunt quam particulæ salino sulfureæ quæ ab adoro corpore per aerem difunduntur, et ad nares perveniunt.

53. Organum gustus in iis nerveis piramidalibus arcuatis et globosis papillulis, quæ trajecta reticulari linguæ membrana ad extimam ejusdem tunicam, qua teguntur apellunt, quæ per totam ipsius linguæ superficiem, quamvis non ubique in æquali copia se se difundunt.

54. Sapores á salinis sapidi corporis particulis potissimum pendent.

55. Tactum denique constituimus in iis nerveis piramidalibus papillulis, quæ é cute erumpentes tandem in cuticulam desinunt, et singulæ in plures veluti fibrulas dividi videntur.

56. Sensorium tactus non est idoneum criterium frigoris et caloris.

57. Hic in sensorio eficitur á quibusdam

igneis particulis perturbato, celeri, et expansivo motu affectis.

58. Frigus vero in objectum inspectum nil est diversum á caloris defectu, ob quasdam particulas nitrosas, quæ sistunt motum particularum corporis.

59. Hominis naturalis beatitudo sita non est in corporeis voluptatibus, nec in divitiis, nec in nullo alio bono creato.

60. Igitur Deus est qui nos vere felices facere potest.

Defensabuntur á supradicantibus diebus Januari 18 — 29 — et 4 Februarii sub auspiciis P. Fr. EMMANUELIS RODRIGUEZ Artium Lectoris in hoc magno, regalique Conventu S. P. N. S. Francisci Hispalensis.